

175 [= 426] Potentiae in ecclesia cathedrali.

... VMA · ET
 ...
 · · LIS · LIBERTAE
 · · POSIERVNT

Viggiano p. 216.

176 [= 427] Potentiae in ecclesia cathedrali.

... DE O...
 ... SOSIE...
 ... VIX · A...
 ... I · VIB...
 5 · · R M V...
 B · M · P

Viggiano p. 217.

177 Potentiae rep. dum via ferrata sternitur.

G. Kaibel alterum fragmentum descripsit, alterum descriptum accepit a professore Soncini Riccardo.

178 [= 428] Potentiae.

† HIC REQ IN PAC SIMPLEX
 NOM LIVANIA Q V SVB INCO
 PARABILI CRATIA PAVL IVST
 ANN · XIII QVOS NEQ DIES NEQ
 5 NOX INVEN IRATOS ET DEFVNC
 EST ANN PL M XXX S D ID IVL
 IND VI P C MaBORTI ET CONIV p. C. 528
 RAT PER DIEM TREMENDI IVDI
 CII NE QVIS HOC ALIQVANDO
 10 AVDEAT VIOLARE SEPVLCRM

Viggiano p. 226.

Propter inopiam typorum in conignationibus altera littera passim deficere videtur. — 3 malim PAVLI · V · SP.

179 Potentiae apud Ricottium.

G. Kaibel descripsit.

XIV. Ager inter Potentiam et Grumentum.

Implicatam de Consilino et Marcellianis quaestionem cum solvere nequeam, certe ad eam diiudicandam quae faciunt proponam¹⁾. Liber coloniarum p. 209 inter praefecturas Lucaniae unam ponit, quae esse dicitur *Consilina* vel potius *Consilini*. Item in Peutingerana (supra p. 2 n. VII) *Cosilianum* pingitur XXV a Grumento lapide in via, ut videtur, ea quae a Grumento ducebat trans montes in vallem Teganensem, quamquam cum et numeri hic passim corrupti sint et tramites confusi, huic indicationi non nimium tribuendum est. Deinde Cassiodorus var. 8, 33 meminit *Consilinae antiquissimae civitatis* in Lucania, cuius in suburbano dicto a conditore sanctorum fontium *Marciliano* ad aquam a candore dictam *Leucotheam* (alii libri *locothea* vel *locotea*, alii *leu-corea*) ea aetate conventus Lucaniae agebatur affluentibus eo praeter Lucanos hominibus ex vicinis provinciis Campania Bruttis Calabria Apulia. Ab utroque loco episcopium, quod saec. certe V extitit, nomen traxit; dicitur enim *Marcellianensis sive Clusinatis* [immo *Consilinae*] *urbis* (Mansi coll. conc. 8, 130; Ughelli Ital. sacr. 10, 128 cf. 7, 494). *Marcilianum* suburbanum *Consilini* probabile est non diversum esse a *Marcellianis* itinerarii Antoniniani (supra p. 2 n. III), quae licet et ipsa non satis determinata sint, nihilominus constat fuisse aut in summa valle Teganensi aut in regione Grumentina, nec negari potest eum locum umbilicum quodammodo Lucaniae conventibus eius provinciae aptissimum esse. Accurate autem ubi fuerint *Consilinum* et *Marcelliana* illa, adhuc definiri non potuit. Sane res decisa esset, si tuto insisteremus actis XII martyrum Hadrumetinorum editis sub die Sept. 1 in actis sanctorum m. Sept. vol. I p. 141, in quibus sic est: *Deinde iter agentes venerunt Cosentiam. Post haec inde sunt profecti Scylacium. Ibi igitur Valerianus iussit militibus ut humane cum martyribus agerent quatenus eos posset Maximiano Romam perducere. Moventes inde Grumentum profecti sunt et die altero Marcellianum, properantes deinde ad civitatem venerunt Potentiam; nam hic Consilino suburbana Marcelliana collocantur inter Potentiam et Grumentum. At ineptum est itinerarium totum, nec ab eo nos edoceri sustinebimus de Consilino parum noto, qui (l. c. p. 135) ab Africa per Consentiam et Scylacium Grumentum pergat. Nihilominus Iosephus Michael Rossi (*ricerche sul sito delle antiche città di Consilina e Marcelliana*. Neapoli 1845. 8. pp. 8) Marsicinus vir doctus et huius regionis apprime gnarus propter acta illa contendit errare*

1) *Consilinum castrum* quod Plinius h. n. 3, 40, 95 in Bruttis collocat prope Scylacium, aut diversum fuerit necesse est a Consilino Lucano aut Plinius errarit. Nummi ΚΩΣ inscripti quamquam ad Consilinum quoque alterum utrum viri docti traxerunt, tam incertae attributionis sunt, ut in hac disquisitione merito praetereantur.

Gattam (Luc. p. 73) Marcelliana collocantem inter Padulam et Salam ad fontem S. Iohannis in fonte loco adhuc dicto *aja Marcelliana*¹⁾, qualem locum sane in ea regione reperiri negat Rossius. Reiecta item opinione Barresii, qui propter titulum aperte ficticium n. 22* ipsum Marsicum novum Marcelliana fuisse vult, Rossius Consilinum collocat in monte q. d. *la Civita* prope Paterno vicum quarto a Marsico lapide, octavo a Grumento, Marcelliana autem et fontem Leucotheam ad fontem Laggiae sub eo monte situm. Utroque enim loco extare rudera antiqua et utrumque esse talem, qualem describit Cassiodorus; prioris campos amoenos late patentes tegulis sparsos esse nummosque et vascula et alia similia passim ibi reperiri, denique fossionibus factis ibi suo iussu in ruderibus magni aedificii praeter columnarum reliquias haec duo scripta fragmenta inventa esse eiusdem marmoris:

Minuta haec frustula (ed. I n. 109*), in quibus praeter unum oppidi nomen nihil plane intellegitur, cum pertineant ad litem antiquissimam topographorum diiudicandam neque ipsa fragmenta Rossius Kaibelio exhibuerit, fieri potest, ut vir ipse a fraude omnino alienus deceptus sit ab amico aliquo operisve. Sed in re incerta equidem nihil definierim.

Itineraria in via Potentia Grumentum (v. p. 2 n. VI) cum neque *Consilini* neque *Marcellianorum* nomen ponant, ponunt *Anxiam*, ut est in Peutingerano, et *Acidios*, ut legitur in Antoniniano. *Acidios* *Accetturam* esse credunt; *Anxia* oppidum est hodie Anzi dictum notum propter vascula picta magna copia ibi effossa. Prodiit inde item lapis Osce scriptus litteris Graecis (v. *unterital. Dial.* p. 191), at neque Graecus ullus adhuc neque Latinus. *Abriolae* tamen pago inde proximo Latini quidam reperti sunt.

Titulos repertos in oppidis *Abriola*, *Marsico nuovo*, *Marsico vetere*, *Paterno*, *Viggiano* (ad quod pertinet liber editus a. 1825 ab Ignatio de' Cunto *antichità di Viggiano* mihi ipse non visus) hoc capite composui privatos fere omnes, ut ad quaestiones illas diiudicandas parum faciant.

1) *Quivi*, Gatta ait p. 73, id est ad ecclesiam S. Iohannis equitum Hierosolymitanorum, *veggonsi rovino di fabbriche per lungo spazio di paese, quale contrada dicesi l'Aja Marcelliana, come costa anche dagli antichi contratti e scritture specialmente in una formata nell'anno 1428 nel regnare della Reina Giovanna Seconda [in pergam. che si conserva presso il Dott. Giovan-Tommaso Grammatico di detta città], e in altre ancora.*